

euatio capitis ante hæc localia? Caput est repletum, & hinc est maxima difficultas, ne localia atrahant materiam ad brachium: & vbi semel incipit ille fluxus, nulla est materia, quæ non affluat ad locum illum: & sic & caput erit euacuandum etiam per caput purgia. Sed tempus calidum venit, & quod non fieri potest ad perfectiorem euacuationem, faciamus per vires vt possumus: si vt volumus, non licet.

CONSILIVM LVII.

De leui Apoplexia cum catarrho.

As vs difficilior curatu, quàm cognitu. Naturalem complexionem sanguineam esse, ex omnibus signis, statura & habitudine corporis, & moribus itauimus. Cor declinat ad humiditatem, cerebrum etiam naturaliter calidum & humidum, tamen etiam magis abundat humiditate aduentitia: ex morbo & ætate dispositionem præter naturam hanc habet, vehementissimum catarrhum scilicet. Is verò aliquando descendit ad nares, & palatum abundantissimè, aliquando ad alia membra. ideo laborat podagra & chiragra. Vrinæ frequentes, per longum spacium temporis hoc modo durantes, & ex eadem materia. hanc igitur esse credo causam omnium symptomatum. Deinde partes, ventriculus videlicet, venæ, viæ vrinales, ex senio debilitatæ sunt. In præsentiarum molestatur paralyfi vniuersali, quia non tantum in manibus per longum tempus hoc malum patitur: sed torturam oculorum, oris, & in pedibus tristè sensationem percipit. Dicitur autem leuis apoplexia, credo, quia inuasit subito: considerandum autem est, an ex nuchæ vel cerebri debilitate veniat. Hic ex cerebro nocumentum provenire, signa ostendunt. Accidentia enim remissa sunt: nõ est difficultas spirandi, & per medicamenta facillimè melius habuit, nec est aliqua extrinseca causa ex victus regimine. Est igitur communis causa, & intrinseca debilitas, videlicet cerebri, & ætas debilitans continuè. Quamquam ad hanc leues quoque causæ extrinsecæ conuenerint, bibit vina potentia, nec modicè. Aer etiam aliquantulum iuuat. Causis igitur extrinsecis, materia qualitate & quãtitate cumulata est, & multiplicatur somnus, quod arguit multiplicationem superfluitatum in qualitate & quantitate. Tribus diebus nihil excreuit, cum alioqui bis aut ter soleret. Hoc igitur incommodum considerandum est. Vrina etiam non apparet hodie tam turbida, nec tam multa: quare timendum, ne fiant obstructions.

Curatio. In victu absteineat à vino, & vtatur mellicrato, item victu tenui ad siccum tendente: non tamen omnino abstinerem propter consuetudinem, ætatem, & virtutem quoque, loco digestiui mel rosatum darem, propter ardorem vrinæ. Non deuenirem ad fortiora. Dedi hæctenus tantum enemata ex decocto quodam, cum melle rosato heri & nudius tertius. Quia enim materiæ est multiplicatio, necesse est subtrahere. Nunc procederem ad euacuandum phlegma, suntque posita quædam: sed stante vrinæ difficultate, ad ea nõ auderem deuenire, sed pillulas tantum da-

A rem, quæ euacuarent, & paulatim diuerterent à loco, quales essent cocchiæ, item de hiera cù agarico, de hiera simplic. syropi de stœchade, de betonica, cum decocto saluiæ, betonicæ & similia. Postea confortetur cum theriaca & mithridato, cum cõserua dianthos, saluiæ, saccharo rosato. Postea rursus euacuatio repetatur, cibaria alterentur cum saluia & roremarino: nutriatur pullis galinarum & columbarum, perdicibus, auibus teneris, & aliis ad siccitatem facientibus.

B

CONSILIVM LVIII.

De leui paralyfi dextri brachij & cruris, cum diminutione motus earundem partiũ, quæ post Apoplexiã remansit, pro nobili Illyrico.

LARISS. D. Ego primum accessi ad hunc Magnificum dominum, ac tota hac hyeme per interualla visitaui, ac diligentissimè considerauì symptomata:

C ideo primo loco dicam, & quæ vidi ac obseruaui proferam. Iam vestra Excell. est optimè instructa, etiam principiò, cum est in cõsiliu vocata, licet ego solus post discessum V. Excell. in cura remanserim, quod hic nobilis vir venit in Italiam cum literis etiam Regiis subscriptis manu Ferdinandi, quæ iubent subditos, ac rogant externos, vt pro viribus suis iuuent strenuum & egregium hunc militem: hanc præcipuè ob causam, vt curetur à paralyfi, quam ipse dicit se habere in dextro brachio

D & crure: & dicit eas partes plus cæteris diminutas, ita vt suspicetur, ne tandem destruantur & deueniant ad sphacelysimum, vel syderationem, & ita pereant. Licet autem hoc præcipuè petat, queritur tamen etiam de quibusdam cõsequentibus: Anno elapso die S. Georgij, incidisse se ait in quãdam apoplexiam, ex qua remansit hæc paralyfis. Sed ante hoc tẽpus passus est varia symptomata, quæ omnia nascuntur ab vno eodemq: principio, videlicet à destillatione catarrhi à capite in partes

E subiectas, quæ facit diuersa symptomata, prout in diuersas partes descendit: quandoq; ad iuncturas & brachia descendit, vt non possit mouere: aliquando ad ventriculum, & habet appetitum vomendi, non vomit tamen, sed longo tempore continuè expuit pituitam. Et dicit vnum animaduertendũ, quod cum à medicis purgatus esset, & missus sanguis, incidit in difficultatem omnium motuum: & cum mitteretur ad balnea, & ingrederetur, sequuta est diminutio sensus & motus, & om-

F nium virium prostratio, quæ diu durabat, ita vt tantum ossa & pellem habere videretur. Id totum medicorum culpa factum ait, se autè interim non conualuisse. Vtrum hoc modo sit ex vitio medicorum, nec ne? Ex pituitæ multitudine esse ortum constat: est enim subiectus maximè pituitæ generationi, quæ tota à capite oritur: quia ipsemet à capite descendere sentit. Conqueritur & de aliis, sed hæc sunt præcipua, ad quæ reliqua cõsequuntur. Vnum aduertendum est, quod possumus

G conicere ex habitudine totius corporis, & ex ratione victus præcedentis, quod habet caput valdè subiectum generationi pituitæ, hepar præcipuè calidum: nam ex colore, habitu corporis, am-